



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 3. An Legislatur potest in materiâ gravi obligare solùm sub veniali?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Q. 3. *An legislator potest in materia gravi obligare solam sub veniali?*

Resp. Multi afferunt, & videtur communis sententia. Quia 1. Potestas obligandi, quam habet Legislator, est quoad usum in ejus libera voluntate, & sic potest eam applicare prout voluerit. Ergo potest illam applicare ad obligandum solum sub veniali; præsertim cum materia majoris obligationis sit etiam capax minoris; & hoc ad convenientem gubernationem interdum expediat, ne scilicet nimium oneretur conscientia subditorum, qui sufficienter ad talis legis observationem inducuntur per obligationem sub veniali. 2. Multæ leges, ac constitutiones Religiosorum, ut Carmelitarum Discalceatorum à S. Pontificibus approbatæ obligant solum sub veniali in rebus gravibus, ut jejniis, abstinentiis, &c. 3. Lex divina solum præcipit, ut pareatur Superiori quantum, & quatenus præcipit; & ab illa oritur obligatio commensurata voluntati Superioris. Ergo si Superior leviter exigat, & præcipiat aliquid, etsi de se grave, inde oritur solum obligatio levis, & tunc præceptum censetur formaliter leve. 3. Actus liberè agentium non operantur ultra intentionem eorum.